



*W W*

Rubr. XVIII. Nro. 32. C.

**Gymnasial - Bibliothek**

zu Cöthen.

78

# De instituendo literarum Latinarum studio.

P. II.

---

Examini 1801. 23. Mart. hora 9. ant. habendo  
præmisit

C. F. R. Vetterlein, Rector.

---

Cothenis.

De iugisendo iustorum  
Iustitium fundio.

B. II

Orationem germanicam habebit Aug. Fitzau.

Kamini 1801. 25. Märt. pars 2. sec. papa ob  
punctum

C. R. A. A. Etterlein, Reges

Officium

De instituendo literarum Latinarum studio.

Pars f. epistola secunda.

Speraveram equidem, fore ut mea Tibi de studiis Latinis probarentur consilia, & hanc spem vanam non fuisse, ex literis Tuis lubenter perspexi. Quæ igitur de *delectu* scriptorum præcepta restabant, hoc tempore, breviter quidem in usus Tuos conscripsi; in qua re, ut aliqua ratione & via progrediar, commodum esse duco, universales quasdam de lectione regulas præmittere, deinceps autem de singulis scriptoribus dicere, quæque ad eosdem bene intelligendos faciunt, indicare subsidia.

Prima Tibi & proxima in aliquo scriptore legendō cura esto, ut eum *intelligas*, ut & justam verborum vim *adsequare* & veros animi ejus sensus percipias; omnium, quæ eo nihil faciunt, incuriosus. Quo facto, & aliquo loco satis intellecto, sine mora pergendum, alacriter progrediendum, nusquam hærendum, nisi alicubi libri, quem legis, tenebræ expellendæ sint; hoc vero quam potest minima temporis jactura, & brevissima ad quamque

rem viā agendum est. Vides, quo hoc spectet consilium; alacrem hoc Te præstabit lectorum; tum ingenium ipsa industria excitabit; deinde rebus, quas tradunt, plus studii tribuens, quam verbis, in familiaritatem quandam Veterum venies, dulcem sane & egregiam; denique hac ratione poteris multa legere, multa discere, multa complesti animo; cum, qui aliter faciunt, totos saepe annos in uno misere hærente soleant scriptore. Quamobrem, ut majores singulis diebus libri alicujus partes perlegere possis, in uno tantum scriptore opera Tua ponenda est, nec, nisi ad finem perduces priore, transendum ad alterum. Plures libri simul degustati distrahant animum: unus vero & certus, uno tenore lectoratus, sua sponte ita fit apertus, ut aliena interpretatione vix egeat. Etenim nisi quis libro quem legit, quasi instet, illique continuo temporis spatio immoretur, difficile est, nexus rerum, cohaerentiam partium totumque operis consilium perspicere. Frequens vero intermissione animi attenti ignes quasi refrigerat & exstinguit, quo fit, ut cum ad lectio[n]em redeas, redintegrascat laboris tedium. Atque quanta hæc legendi ratio habeat commoda, isti quoque Classicorum libri, qui in schola tua præleguntur, tibi ostendere possunt, qui quoniam in iis non nisi membratim exponi soleant, privato studio fac ut universos & totum eorum quasi corpus cognoscas.

Ut

Ut vero ex studio Romanorum eos percipias,  
 fructus, de quibus in prima dixi epistola, \*) dupli-  
 cem præterea commando Tibi operam, quarum  
 una posita est in eo, ut cum legendo observaris res,  
 quæ ad communem hominum naturam melius cog-  
 noscendam valent, eas quidem paullo memorabilio-  
 res, instituas non solum notare eas in tuo volumi-  
 ne, sed postea etiam in librum chartæ scriptoriæ  
 singularem, sive Commentarios referre. Hinc  
 Tibi videbis exoriri rerum collectionem longe uti-  
 lissimam & ad doctrinam morum, olim tibi peni-  
 tus perspiciendam, & ad colendam poeseos felici-  
 ter artem, quam Tibi cordi esse sentio. Non lo-  
 quor hic de dogmatibus sive decretis philosopho-  
 rum de mentis sive natura sive essentia, sed de iis,  
 quæ de hominibus experientia constant, quæque  
 & ad psychologiam empiricam & ad historiam ho-  
 minis referri mos est. Talia & in aliis & in histo-  
 ricis Romanorum libris sagaciore cuivis lectori ubi-  
 que obviam fiunt. Quæ Tibi aut ipsis Veterum  
 verbis, aut, si id magis placet, germanico idioma-  
 te summatimque in schedas & commentarios Tuos  
 referenda sunt.

Alterum quod hoc in studio suscipiendum Ti-  
 bi puto, cura est vertendorum germanice locorum  
 singulorum, venustorum & illustrium: quo labore  
 facultas scribendi mirifice augebitur. Equidem non  
 puerilem aliquam a Te postulo versionem, quæ

\*) p. 7. 8.

verbum de verbo reddat, de ingenio scriptoris & proprio scribendi genere, quo usus est, parum sollicita, quæ nec elegantiam nec vim libri antiqui sequatur, ne servato quidem nostri sermonis usu & justo verborum ordine; quales multæ librorum classificorum interpretationes in publicam adeo lucem editæ sunt; at eorum auctores, optimi alioquin viri, mihi quidem de officio boni interpretis pessime viuentur judicare, & utilitatem lectorum suamque ipsorum gloriam parum curare. Tua vero versio, quamvis exercitii tantum causa facias, mascula esto; in verbis sit pura, usitata, idonea, & personis rebusque digna; scriptoris sensa & ingenium fideliter reddat, sed ita sit germanica, ut, cum a rebus recesseris, & Cicero & Cæsar videantur in Germania nati fuisse. — Imprimis versionis oratio scripturæ veteri semper ita sit accommodata, ut quibus in locis scriptor Romanus usus fuerit vel tenui vel mediocri vel sublimi dicendi genere, idem in tentorio idiomate videaris consequutus. Numerorum ratio non solum in poësi, sed in prosa quoque oratione habenda est; carmina vero metris reddenda similibus illorum, quæ a Latinis adhibita videmus: Valet enim lingua germanica antiquam metrorum & rhythmorum imitari naturam, in qua re soli inter linguas hodiernas licet ei gloriari. Igitur & aliqua Tibi opera ponenda erit in addiscenda profodia & latina & germanica; nam latine tibi scientia opus erit cum ad poëtas rite interpretandos, tum ad rectum de numeris poeticis formandum iudicium.

dicium. Ad hanc descendam utile erit consulere Janium, \*) ad germanicam vero ea, quae de his rebus scripserunt Mauritius \*\*) & Klopstockius. \*\*\*)  
 Venio nunc ad ipsum scriptorum delectum, in quo utriusque rei ratio habenda est, Latinitatis & ingenii Tui. Nam primo loco legendi sunt optimi Latinitatis auctores, quibus ducibus veram hujus linguae naturam, in primis propriam & usitatem cuiusque vocabuli vim licet cognoscere. Quam cum ex scriptoribus etatis, quam dicunt, aurea, probe cognoveris, non solum justas & definitas rerum, quas legis, ideas formare, sed etiam de aliorum praesertim recentiorum oratione, minus ut plurimum latina, recte poteris judicare. Deinde cum Tibi sit propositum, literarum etiam Latinarum ope idoneum fieri ad res olim publicas gerendas; idemque mihi jam fueris fassus, miro Veterum Te teneri amore, quorum que restent literarum monumenta in tota dicas Tibi vita carissima semperque in manibus futura; denique cum idem mihi scripseris de tuo studio poeseos, ad quam felicitate ceteri evit iniigi audiri. illud non videlicet eis\*) Christiani Dav. Jani artis poeticae Latinæ libri IV. Halle 1774. 1 rthl. 4 gr.

\*\*) Versuch einer deutschen Prosodie, von Karl Philipp Moritz. Berlin 1786. 16 gr.

\*\*\*) Quæ Klopstockius de hoc argumento scripsit, indicata sunt in „Handbuch der poetischen Literatur“, p. 361. sqq.

citer colendam ex veterum lectione nonnulla speras accepturum adjumenta: hæc simul omnia, in scriptoribus Latinis ad privata quidem Tua studia eligendis diligenter spectavi. Triplex vero genus est eorum, quos Tibi censeo legendos, unum *historiæ*, alterum *poëtarum*, tertium *philosophorum*, totidemque studiorum quasi cursus instituendi. Ab historicis incipiendum est; nam & rerum narratio ut plurimum facilior est intellectu, &, cum historia ceteris rebus & artibus quasi facem præferat, aditum Tibi patefacient ad lectionem reliquorum historici. Sequantur deinceps poëtæ, qui lucem ex historiis sumant, & animum ad gravem philosophorum doctrinam facilem reddant & promtum, musarumque quasi ope in Sapientiae arduam inducant domum; philosophis enim ultimo loco, corroboratis jam per priora viribus, opera danda est. Sed singulorum jam Tibi dabo nomina: 1. Livius. 2. Cæsar. 3. Ciceronis epistolæ. 4. Tacitus. 5. Terentius. 6. Ovidii Metamorphoses. 7. Virgilius. 8. Horatius; quibus 9. Chrestomathia addatur latino-poëtica. 10. Plinii Secundi liber unus & alter. 11. Ciceronis libri & Rhetorici & philosophici nonnulli. Quibus igitur sive subsidiis sive auxiliis in singulis hisce scriptoribus legendis Tibi quidem utendum sit, nunc breviter indicabo.

1. Et Livii quidem aut totum, quod restat, evolvendum opus, aut tota saltim aliqua decas. Quod si posterius magis placet, secundam, quæ restat,

restat, decadem (a l. 21—30.) suadeo legendam; continet enim historiam imprimis memorabilem belli Punici & Hannibal, ducis magni & viri admirabilis. Verum cum historia Liviana non extet integra, nec ab ullo alio Veterum universam reipublicæ historiam reliqtam habeamus: ut contextam & plenam rerum Romanarum habeas narrationem, adhibendus erit liber a recentiore quodam bene conscriptus auctore, qui in totam Romanorum manuducat Te historiam. Ut ergo aut præclaro Fergusoni, philosophi Scotici, opere, \*) aut libro Anonymi cuiusdam, qui, Fergusono potissimum usus, conscripsit Romanarum historiarum brevarium. \*\*) Alterutrum conjunctim evolvendum cum Livio: in qua, quamvis magno utique viro & scriptore, Te non fugiet quam fuerit & patriciorum & propriæ gentis studiosus, ob eamque causam & in plebejos & in externos populos paullo interdum iniquior. Editio Livii manualis, tironumque usui accommodata adhuc est in votis, quamquam a Strothio talem \*\*\*) habeamus inchoatam.

Tibi

\*) *Geschichte der römischen Republik, von Adam Ferguson. A. d. Engl. mit Anmerkungen von C. D. B. (Beck.) 3 Th. in 4 Bdn. 8. Lpz. 1784—87. 5 rthl. 22 gr.*

\*\*) *Geschichte der Römer zur Erklärung ihrer klassischen Schriftsteller. 2 Th. 8. Lpz. 1787—90. 2 rthl. 4 gr. Editio hujus libri furtiva profat Viennæ apud Schramblum.*

\*\*\*) *Titi Livii Operum Pentas I. scholarum in usum animadversionibus illustravit Friedr. Andr. Stroth.*

Tibi tamen, cui iam latinitatis intelligentiam haud multum difficultatis facere video, uti licet aut Gronoviana, \*) aut Ernestina, \*\*) aut etiam Bipontina; \*\*\*) &, si vis subinde eam consulere, interpretatione, quam Ostertagio \*\*\*\*) debemus, sub ea tamen conditione ac lege, de qua in prioribus dixi literis. †)

2. Commentarios vero Cæsaris non tantum ob linguae puritatem distinctione elegantiam & similitudinem, sed etiam plici-

*Stroth. 8. Lips. 1780. Pentas II. & III. Gothæ  
1782—83. (3 rthl. 12 gr.)*

\*) Titi Livii historiarum quod exstat. Cum perpetuis I. Fried. Gronovii & Variorum notis. 8. 4 Vol. Lugd. Bat. 1645. Volumen quartum continet notas, — rep. 3 Voll. 8. Amstel. apud Elzevirios 1665; — & cura Jacobi Gronovii, 3 Voll. Amst. apud eosdem 1679.

\*\*) Titi Livii Patavini historiarum libri qui super sunt omnes, ex recensione Arn. Drakenborchii; cum indice rerum locupletissimo. Accessit, praeter Varietatem testionis Gronovianæ & Creverianæ, Glossarium Livianum; curante Augusto Guil. Ernesti. 3 Tomi 8. Lips. 1769. Editio IIda, 3 Tomi, 8. ibid. 1785. 4 rthl. 8 gr.

\*\*\*) T. Livii Patavini historiarum libri qui super sunt omnes, cum integris Joh. Freinsheimii supplementis Ec. Studiis societatis Bipontinæ. 13 Tomi 8. Bipont. 1784—87. 11 rthl. 16 gr.

\*\*\*\*) Des Titus Livius Römische Geschichte, übersetzt und mit erläuternden Anmerkungen versehen von J. Phil. Ostertag; 10 Bde, 8. Frankf. a. M. 1790—98.

†) Vid. supra p. 14.

plicitatem, sed multo magis etiam ob res, quas continent, ipsas, h. e. belli Gallici & civilis, maxime memorabilis historiam & descriptos simul duorum magnorum populorum, Gallici & Germanici, mores, acri studio censeo Tibi legendos. Non ad phrasin captandam Tibi evolvendus est Cæsar, sed ut cognoscas rem Veterum militarem, & bellorum, quæ exponit, causas, consilia, variosque eventus, ducum in iis prudentiam & vitia; ut breviter dicam: quomodo hodiernæ rei militaris studiosus aut aliquis militarium ordinum duxtor \*) regis Friderici II. legere soleat bellorum quæ gessit commentarios: sic Tu legas velim Commentarios Cæsaris. Neque, queso, fidem habeas hominibus quibusdam, de literis parum recte judicantibus, qui dictitant, viri docti non esse, ut aliquam rei militaris habeat scientiam. Immo vero est id docti; certe olim Tui erit, si quidem re vera adspiras ad prudentis civis simul & magni poëtæ laudem. Editionem adhipe quam ex Cellariana & Oudendorpiana potissimum confecit Morus, \*\*) in qua non solum verborum, sed & rerum explicatas invenies difficultates; inter legendum vero ad manus funto Tabulae geographicæ, quas indicavi, \*\*\*) Danvillianæ; subin-

\*) Ein Offizier.

\*\*) C. Iulii Cæsaris Commentarii de bello gallico & civili. Accedunt libri de bello Alexandrino Africano & Hispaniens. Ex recensione Franc. Oudendorpil. Curavit editionem Sam. Fr. Nath. Morus. 8. Lips. 1780. 12thl. 12 gr.

\*\*\*) Pag. II.

subinde in singulis rebus consultanda sunt, quæ de re veterum militari scripserunt Lipsius \*) & Guichardus \*\*) & Nastius, \*\*\*) Versiones vero, quas gallice scripserunt & d'Ablancourt \*\*\*\*) & d'Anville, †) & Germanice Wagnerus, ‡) ad loca difficiliora inspicere licet.

3. Epistolas Ciceronianas, maxime quæ vulgo audiunt *ad diversos*, ob eximum in historia illorum temporum usum, ad historicam lectionis Tuae partem refero; utilissimæ etiam sunt ad discendum stylum illum simplicem, concinnum vereque epistolarem; insunt quoque permulta, quæ ad humanos mores

\*) *Gusti Lipsii de militia Romana libri V.* Editio nova, 4 maj. Antv. 1598. *Ejusdem Poliorceticon, sive de machinis, tormentis, telis, libri V.* 4 maj. Antwerp. Ed IIda 1599.

\*\*) *Memoires militaires sur les Grecs & les Romains*, par Charles Guichard, 2 Vol. avec fig. Lyon 1760. 7 rthl. — *Ejusd. Memoires critiques & historiques sur plusieurs points d'antiquités militaires.* 4 Vol. 8. Berlin 1773—74. 5 rthl.

\*\*\*) *Römische Kriegsalterthümer aus echten Quellen geschöpft*, m. Kupf. Halle 1782. 1rthl. 12 gr. *Auctores fuere I. Iac. Heinrich. Nast & I. F. Rösch.*

\*\*\*\*) *Par. Nicole Perrot d'Ablancourt*, 4. a Par. 1650; rep. 1658. rep. in 8. 1665; 1672; 1677; 1699. *Cum textu latino in editione Berolinensi apud Haude & Spener*, 1748. 1 rthl. 4 gr.

†) *Par Mr. D'Anville*, 8. a Par. 1755. rep. 12. Anst. 1763.

‡‡) *I. Cæsars und anderer Schriftsteller Nachrichten &c. übersetzt von I. Franz Wagner*, 8. Stutg. 1765. N. Ed. 1779. 1rthl. 8 gr.

mores characteresque plurimum juvant discendos. Has legere Tibi licet ordine aut chronologico aut vulgari, s. 50, quo in plerisque editionibus sunt impressæ; hic quidem, qui omnes ad unam aliquam personam conscriptas conjungit epistolas, plus conductit ad notitiam characterum; ille, qui temporum cursum tenet, plus prodest historiæ. Optionem igitur Tibi defero utriusvis rationis. Quod si ordo temporum magis placet, editione utendum tali, in qua epistolæ ex ea ratione sunt dispositæ, e. g. delectu harum epistolarum quem edidit Strothius, \*) adhibita subinde versione & adnotatione Borheckiana, \*\*) quæ eandem sequitur seriem. Quanquam vulgaris quoque ordinis editiones ad hunc legendi modum adhiberi possunt, quæ quidem subjunctum habent ordinis illius indicem aut Manutianum aut Siberianum. Sin vero alter idemque vetus magis Tibi arriserit ordo, cura ut ad manus fit brevis aliqua vitæ Ciceronianæ historia per Consules annosve descripta, qualem & Franciscus Fabricius concinnavit,

\*) *M. T. Ciceronis epistolarum libri sex, quibus Res Romanae inde a Cæsar's morte usque ad trium virorum conspirationem continentur. Animadversionibus in usum scholarum illustravit Friedr. Andr. Stroth. 8. Berol. 1784. 1 rthl.*

\*\*) *M. T. Ciceros vermischte Briefe, neu übersetzt und nach der Zeitfolge geordnet und erläutert von August Christian Borheck. 5 Bände, 8. Frankf. a. M. 1782—89. 3 rthl. 6 gr.*

vit, \*) & Bipontini suæ Operum Ciceronis editio-  
ni \*\*) præmiserunt; nisi forte præter eam operis  
Fergusoniani partem, quæ ætatis hujus historiam  
habet, \*\*\*) uberiorem Vita Tullianæ historiam, a  
Middletonio editam \*\*\*\*) perlustrare malueris.— Optime  
has epistolas explicaverunt Paullus Manutius †)

&amp;

\*) *Præmisserat eam suæ editioni Aug. Ernesti*  
(5 Voll. 8. Lips. 1737. — Halæ 1757, in 6 Tomis,  
quorum 6tus continet Clavem;) sed eam omisit in  
novissima „cum not. crit. 8 Voll. Hal. 1776.

8 rthl. 8 gr.

\*\*) *M. T. Ciceronis Opera, ad optimas editiones*  
*collata, studiis societatis Bipontinæ, 8. 13 Voll.*  
*Biponti 1780—91. 12 rthl. 10 gr.*

\*\*\* Vol. 3.

\*\*\*\*) *History of the life of M. T. Cicero by Conyer*  
*Middleton. 2 Vol. 8. Dublin 1741. — 3 Vol. 8. Lon-*  
*don 1750. — 4 Vol. 8. Basilea 1790. 4 rthl. —*  
*Germanice, 3 Bände 8. Altona 1757—59. 2 rthl.*  
*6 gr. Nova versio sub titulo: Middletons römi-*  
*sche Geschichte, Ciceros Zeitalter umfassend, ver-*  
*bunden mit dessen Lebensgeschichte. A. d. Engl.*  
*von Günther Karl Friedr. Seidel, 4 Bde, 8. Dan-*  
*xig 1791—93. 3rthl. 8 gr.*

†) *Paulli Manutii Notæ impressæ sunt in Editione*  
*Operum Cic. Aldina quarta, 5 Vol. fol. Venet.*  
*1579—83. — repetitæ in aliis Editionibus, ut in*  
*Graviana Epistolæ ad Diversos 2 Voll 8. Amst.*  
*1677. rep. 1693.) — separatim vero sub titulo:*  
*Paulli Manutii commentarius in M. T. Ciceronis*  
*epistolas ad diversos, etc. Editio nova prioribus*  
*nullo accuratiore & Ernestina recensioni in omni-*  
*bus accommodata. 2 T. 8. Lips. 1779. 80. 2 rthl.*  
20 gr.

& Theophilus Cortius, \*) quorum commentarii in iis evolvendis subinde Tibi erunt consulendi; perutiles etiam sunt tironibus & Weiskii \*\*) & Schmiederi \*\*\*) annotationes, separatim emissæ; at textum epistolarum & vulgari & ipso Ernestiniano emendatorem habemus in editione Benedicti critica. \*\*\*\*)

4. Posteaquam ex *Livio* Reipublicæ Romanæ cognoveris ortum, progressum & eximiam quoque gloriam, quæ quidem in frequentia bonorum magnorumque conspicitur virorum; in *Cesare* vero & *Cicerone* populum videris ad vitia, rem autem publicam ad corruptionem occasumque vergere: ut intelligas, quanta sit servitutis miseria, quantaque amissæ per ignaviam & selera libertatis mala, nunc Tibi erit legendus *Tacitus*. (Historiæ Romanæ lacunas inter Ciceronis epistolas & Taciti annales libri Fergusoniani ope nunc quidem poteris supplere.) *Tacitus* igitur, qui non solum vi & brevitate di-

etio-

\*) M. T. Ciceronis epistolarum ad diversos libri XVI. Christophorus Cellarius recensuit & illustravit; quæ quæ sunt multum & emendata studio Gottlieb Cortii. Ed. IVta. Lips. 1735. 16 gr.

\*\*) Erklärende Anmerkungen zu Ciceros Brutus und der Auswahl der besten Briefe Ciceros, von Benj. Weiske. 8. Braunschw. 1796. 2 rthl.

\*\*\*) M. Benj. Friedr. Schmieders historisch-philologische Bemerkungen zur Erläuterung der Briefe Ciceros ad Diversos, 8. Halle 1799. 21 gr.

\*\*\*\*) M. T. Ciceronis Epistolarum libri XVI. cum notis criticis, a Friedrich Traugott Benedikt. 2 Völl. 8. Lips. 1795. 2 rthl. 12 gr.

ctionis, sed & prudentia, acumine & gravitate inter historicos omnis ætatis eminet, qui que arcana mentis consilia rimatus est & vitæ humanæ imaginem plane singularem depictam dedit — hunc igitur Tibi censeo nunc jam legendum, vel totum vel aliquam operum ejus partem; quamquam enim viris potius & senibus scripsisse videatur, quam adolescentibus, & sagacitate quadam & maturioris ingenii subtilitate opus sit ad perspicienda penitus omnia; perutile tamen puto adolescentibus quoque, cum egregio scriptore aliquam inire familiaritatem, ut adulta olim ætate eo lubentius ad eum redeant. — Igitur si universa magni scriptoris nunc jam legere opera Tibi non placet, utpote ad poetarum Romanorum properanti letionem: at legendus saltem est libellus de Germania cum duobus tribusve Annalibus libris, qui depictedos quasi oculis tuis subjicient & integros majorum nostrorum mores & magnum illum libertatis vindicatorem, Arminium. Editione utendum est manuali & emendata: qualis est vel Elzeviriana,\* vel Berneggeriana,\*\* vel Bipontina; \*\*\*) licet & capere utilitatem ex consultis subinde virorum doctorum, imprimis Lipsii annotationibus\*\*\*\*) & versione Germanica, aut Magdeburgensi, ††) quæ studiis imprimis Patzkii debetur, aut Halensi, †††) quæ Bahrdtium habuit auctorem.

\* ) Amstelod. apud Elzeviro. 1701. 16.

\*\*) Argentorati, 1638. rep. 1664. Francof. 1737. 20 gr.

\*\*\*) Biponti, 4 Voll. 1779. 2 rthl. 12 gr.

\*\*\*\*) C. Taciti Opera ex recensione Gronovii cum notis integralis Iusti Lipsii & I. Friedr. Gronovii cura I. Augusti Ernesti. 8. Lips. 1772. 3rthl. 16 gr.

††) C. Tacitus Werke, aus dem Lateinischen übersetzt und mit den nöthigsten Anmerkungen begleitet. 1 - 4.

Th. Magd. 1769-1771. 5. 6. Th. Halle 1777. 2 rthl. 6 gr. In quatuor partibus prioribus auctor adjutus est a I. Eustachio Goldhagen.

†††) Tacitus Werke, übersetzt von Carl Friedrich Bahrdt. 2 Th. Halle 1781. 3rthl.





AB 155562

ULB Halle  
005 301 36X

3



Sb.

8



B.I.G.

**Farbkarte #13**

Black


Yellow

Red

Green

Cyan

Blue



De instituendo literarum  
Latinarum studio.

P. II.

Examini 1801. 23. Mart. hora 9. ant. habendo  
præmisit

C. F. R. Vetterlein, Rektor.

Cothenis.

